

necessaria ut non sit vere libera, similis profecto sequitur ex hoc auxilio prædeterminante.

11. *Responsio allata non procedit ex probabilibus.* — Non est ergo evidens hæc responsio, nec procedit ex probabilibus quæ possint ad solvendum argumentum adaptari. Nam discursus factus videtur demonstrative ostendere quod nec inter prædeterminationem in actu primo, nec inter actiones emanantes ab utroque actu primo invenitur differentia. Imo hinc directe roboratur argumentum, quia ideo aliquando necessitatur voluntas per similem præviam motionem, quia jam non operatur ut indifferens, sed prædeterminata ad unum, et quia illud compositum ex voluntate et prævia motione, quod est proximum et adæquatum principium talis actionis, naturaliter agit, et non libere, et ab illo habet actio quod necessaria vel libera sit, et ob eandem rationem, voluntas sic agens prædeterminata in actu primo non potest proprie dici determinare se, neque ignis cum calefacit, quia verbum determinandi se, dicit habitudinem ad causam in actu primo indifferentem. Denique non video quo colore dicatur hanc difficultatem æque urgere in omni sententia, cum nos nullo modo admittamus voluntatem, cum libere operatur, operari prædeterminatam physice ac simpliciter, falsumque esse censeamus quod supponitur ibi, voluntatem indigere prædeterminatione in actu primo a se vel ab alio, ut libere operetur, nam si est prædeterminatio in actu primo, illa semper est ab alio, et repugnat libertati, et sine illa potest voluntas cum concursu vel auxilio Dei concomitante se determinare, etiamsi prius natura sit omnino indifferens ut in lib. 3, cap. 42, ostendimus. Si vero sit determinatio in actu secundo, illa non est aliud quam ipsa actio volendi, quia voluntas non potest velle quin determinetur; sed illa determinatio non est prædeterminatio, nec suppositio antecedens, sed est ipsa formalis determinatio quæ libere fit a voluntate, et ideo est suppositio consequens includens usum libertatis, et illo supposito inducens necessitatem secundum quid, et longe dissimilem ab illa quæ esse potest a divina motione prædeterminante.

12. *Refelluntur qui putant salvari libertatem nostram, per hoc quod tota impressio provenit a voluntate Dei libera.* — Atque ex his tandem refelluntur facile qui putant salvari libertatem nostram, non obstante tota necessitate quæ per tale auxilium efficax voluntati hominis

feret, per hoc solum quod tota illa impressio provenit a voluntate Dei libera quæ in se indifferens est, et intime adest voluntati nostræ, et movendo illam perficit illam, suæque libertatis ac indifferentiæ participem facit. Ita loquuntur interdum aliqui ex dictis auctoribus, et certe Ledesma, qui salvare nititur libertatem quoad specificationem et potestatem agendi, in eo qui caret hoc auxilio, per solam intimam assistentiam voluntatis et potentiæ divinæ in nostra voluntate, ut cap. 12 retuli, facile etiam in præsentia dicit indifferentiam voluntatis divinæ, intime moventis et gubernantis voluntatem nostram, sufficere ut consensus noster liber sit, etiamsi ex duplici necessitate nobis immissa procedat, nimirum ex necessaria receptione auxilii prædeterminantis, et ex necessaria dimanatione ab auxilio et voluntate illo affecta. Atque in terminis quidam ex his Patribus refert hanc evasionem ex alio Thomista, quem non nominat. Ait enim illum prius asseruisse, non obstante prædeterminatione, voluntatem hominis retinere indifferentiam; postea vero, id explicando et tacite retractando, dixisse prædeterminationem procedere ex indifferentia, quæ splendet in voluntate divina, et ideo, licet præmotio sit determinata ad unum, dici indifferentem, et indifferentem relinquere voluntatem.

13. *Præcedens respondendi modus libertatem Dei salvat, non nostram.* — At profecto (ut iste auctor recte dixit) hic respondendi modus libertatem Dei salvat, non nostram. Quid enim ad nostram libertatem referret quod in divina splendat indifferentia, nisi nobis participationem illius indifferentiæ communicasset. Certe illo modo etiam actio ignis et lapidis descendens esset libera igni et lapidi, quia etiam in illa splendet indifferentia divinæ voluntatis, quæ posset illam impedire, et concursum ad illam suspendere. Indifferentia ergo Dei facit ut actio sit ipsi libera, non causæ secundæ, nisi ipsa indifferens sit, et in illa indifferentia conservetur et permaneat in eo instanti prius natura quam operetur, ita ut actio, ut est ab illa proxime completa ad operandum, respiciat illam ut indifferentem, et inde libera denominetur. Confirmatur primo, quia alias etiam ipsa infusio efficacis auxilii, imo et sufficientis ac prævenientis, dici posset libera voluntati, quia procedit ab indifferentia divinæ voluntatis quæ in illa resplendet, et omnino gratis et libere talem motionem præbet. Consequens autem absurdum est, et contra omnium doctrinam, ut constat; ergo indifferentia

divinæ voluntatis non sufficit ut actio voluntatis humanæ libera sit.

14. *Retorquetur argumentum.* — Præterea, argumentum sumptum ex libertate quoad specificationem efficaciter retorquetur, ex dictis capite 12. Nam potentia Dei, quantumvis sit intima nobis, nisi intelligatur esse parata per voluntatem Dei ad nos juvandum, non reddit nos potentes. Unde, si absolute et sine respectu ad usum nostræ libertatis decrevit non dare alicui auxilium necessarium ad aliquem actum simpliciter, fit illi impossibilis talis actus; ergo similiter in præsentia, a contrario, si Deus, non obstante sua indifferentia, decrevit dare tale auxilium prædeterminans, et non suspendere illud, licet posset simpliciter, fit nobis impossibilis suspensio talis actus, et consequenter fit ipse actus simpliciter necessarius quoad exercitium respectu hominis, etiamsi sit liber respectu Dei. Ac tandem inde sumitur optimum argumentum, quia, supposita necessitate prædeterminantis auxilii, impossibilis pura et libera ommissio talis actus; quia si non fit, præcedit carentia vel ablatio prædeterminationis, quæ et necessaria nobis est, cum auxilium non pendeat ex libertate nostra, et illa supposita non libere sed necessario sequitur carentia actus. Ergo, eadem proportionem, e converso supposita immissione talis auxilii ex sola voluntate Dei, in se quidem indifferente ex se, tamen se determinante absoluto decreto ad infundendum illud auxilium, non relinquitur homini indifferentia in agendo cum tali auxilio recepto; est enim eadem ratio. Manet ergo solidum fundamentum assertionis, propter quod illam omnino veram et fidei principiis consentaneam censemus.

15. *Respondetur ad primum argumentum.* — *Ad secundum.* — Nec obstant in principio objecta. Ad primum enim respondetur necessitatem sensus compositi, quando in suppositione non includitur aliquo modo usus libertatis vel habitudo ad illum, esse necessitatem simpliciter, et repugnantem libertati, ut satis probatum est. Ad secundum, fatemur ad omnipotentiam Dei pertinere ut possit movere voluntatem efficaciter et suaviter, ut infallibiliter et libere, sed non illo modo, quia in illo involvitur contradictio; quis autem possit esse alius modus postea explicabimus, prout videbitur probabilis. Fatemur enim non posse nos assequi omnes modos omnipotentiae Dei possibiles; nihilominus tamen scimus illum non esse possibilem in quo contradictio involvitur. Credimus etiam Deum ita movere per

gratiam ut usum libertatis non auferat, et ideo modum illum non admittimus. Ad tertium, de actionibus prædefinitis a Deo, admittimus eas sæpe prædefiniri, et inde infallibiliter sequi ut sit futurus actus prædefinitus, non tamen media prædeterminatione physica, sed media vocatione congrua, ut infra dicemus. Et ideo suppositio illa non est omnino antecedens, nam habet quemdam respectum ad cooperationem liberam voluntatis per illam intentam, et ideo non est simile.

16. *Respondetur ad exempla.* — Et per hoc respondendum est ad alia exempla, nam voluntas Christi ex vi unionis habet necessario conjunctum divinum regimen suæ voluntatis creatæ, per quod ita dirigitur, ut infallibiliter semper velit quod bonum et melius est, etiamsi non prædeterminetur, ut in propria materia latius tractatum est. Similiter voluntas Pauli absque determinatione efficaciter vocata est, ut etiam Augustinus, et Chrysostomus, et Anselmus infra citandi explicarunt. Idem est de confirmatis in gratia, nam licet aliqui non dubitent concedere illos necessitari ad non peccandum, quia hæc tantum est necessitas quoad specificationem, non est tamen id admittendum, quia, restringendo casum præcepti affirmativi hic et nunc obligantis, incideremus in necessitatem quoad exercitium. Neutra ergo ponenda est in his confirmatis, ordinarie loquendo, nam per vocationes congruas sufficientissime possunt libere sed infallibiliter in bono confirmari, ut latius in sequentibus dicturi sumus.

17. *Difficillitas.* — *Solvitur.* — Solum superest addendum unum verbum propter eos qui, ut enervent fundamentum adductum, dicunt illud fuisse fundamentum erroris Pelagii, sæpiusque ab Augustino et aliis Patribus fuisse solutum. Nos vero dicimus, si fundamentum dicitur principium aliquod ex quo formatur ratio, et assertio colligitur, sic sæpe contingere ut ex eodem principio catholico hæreticus et catholicus argumententur, et hæreticus male colligat, catholicus autem bene. Sic ergo ex libertate arbitrii argumentabatur Pelagius, et nos etiam argumentamur, sed ille ex illo principio inferebat absolute et in universum gratiam Dei non esse necessariam ad opera libera, quæ pessima consecutio est, et nullum habens fundamentum quo nitatur, quia opus liberum bene potest ab alio excitari et adjuvari, et ideo necessitas gratiæ excitantis et adjuvantis nullam habet repugnantiam cum libertate. Nos vero, ex libertate arbitrii, in usu operum

gratiæ colligimus non esse necessariam nec possibilem prædeterminationem physicam, quod longe diversum est; et consecutio illa habet maximum fundamentum, tum in natura liberi arbitrii, et repugnantia inter indifferentiam et prædeterminationem, et inter liberum usum et necessitatem antecedentem. Et ita hæc nostra consequentia habet magnum fundamentum in Patribus et in Conciliis, ut præter dicta pluribus in sequentibus ostenditur; illatio vero Pelagianorum ab omnibus Patribus impugnatur.

18. Dices: etiam Pelagius ex arbitrii libertate colligere volebat non dari auxilium efficax, quod etiam nos colligimus. Respondemus imprimis priorem partem non satis constare: nam Concilia Milevitanum, Arausicanum et Tridentinum sufficientem tradunt doctrinam contra Pelagium, et non definiunt aliquid de gratia efficaci, sed de necessitate gratiæ prævenientis, præmoventis, excitantis et adiuvantis. Et Coelestinus Papa, in Epistol. 1, a cap. 4 usque ad 12, doctrinam necessariam contra Pelagianos et Semipelagianos tradit, et in eis solum ostenditur dicta gratiæ necessitas; et in cap. 8 solum dicitur ita de divina gratia esse sentiendum, *ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius non dubitemus valere auxilium*. Et in cap. 12, concludit Deum esse auctorem honorum omnium operum, quia illa sua gratia prævenit, et illorum initium in nobis operatur, *agitque ut quod ipse vult nos velimus et agamus*. In quibus omnibus nihil de efficaci gratia sub propriis terminis tradit, quod sane fecisset si Pelagius eam suo argumento impugnasset. Sed esto pars illa vera sit, et in hoc etiam erraverit Pelagius, falsa profecto est altera pars, quia nos ex illo principio non impugnamus absolute gratiam efficacem, sed gratiam ex se prædeterminantem physice, ac subinde refellimus talem modum gratiæ efficacis de quo nec fuit controversia cum Pelagio, nec Augustinus unquam locutus est, ut infra ostendemus.

CAPUT XVIII

UTRUM CONCURSUS DEI SIMULTANEUS EX SE PRÆ-
DETERMINET VOLUNTATEM AD CONSENSUM.

1. *Duo modi prædeterminandi physice voluntatem.* — Duos modos prædeterminandi physice voluntatem supra distinximus: unus est prædeterminando prius natura in actu primo

voluntatem per aliquam entitatem ab ipsa et ab actu secundo illius distinctam, ut ipsa sic prædeterminata actum eliciat. Alter est immediate prædeterminando ipsam ad ipsum actum secundum, sine entitate prævia, sed immediate, per divinam voluntatem, ita efficiendo in voluntate et cum illa actum ipsius, ut in ipsamet efficientia humana voluntas a divina prædeterminetur. Priorem modum impugnavimus in præcedentibus capitibus: in hoc et sequentibus posteriorem expendemus; et prius de necessitate, postea de possibilitate hujus prædeterminationis dicemus. Duobus autem modis intelligi potest prædeterminatio hæc per influxum immediatum in ipsum actum secundum, scilicet quod ipse concursus Dei, ex se et quasi absolute spectatus, habeat hanc vim prædeterminandi voluntatem, vel saltem ut illam habeat per respectum ad voluntatem divinam a qua procedit. Et licet auctores ponentes prædeterminationem in ipso actu indistincte loquantur, nos, ut vis rationum magis appareat, de priori modo dicemus in hoc capite, et de altero in sequenti.

2. Quod ergo hæc prædeterminatio fiat per ipsam actionem consensus voluntatis, ut est a Deo, sentit imprimis F. Cumel in ultima hujus puncti examinatione, quam in lib. 1 opusculor. reliquit copiosam, in disput. 4, sect. 3, conclus. 4, ubi sic inquit: *Ila affirmatur a nobis efficacia divini auxilii esse ex Deo, non ex nostra cooperatione, ut non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passive se habeat omnino liberum arbitrium; et infra addit rationem, quia alias voluntas non se libere determinaret*. Unde (inquit) *eadem determinatio conversionis est a Deo et ab homine, sed a Deo prius ordine naturæ, quia est prior in causando, et movendo liberum arbitrium hominis*, etc. Et ibidem negat esse ibi duas actiones, sed unam tantum Dei et hominis, quæ prius natura est a Deo. Et in conclusione 5 expressius dicit eandem esse actionem qua voluntas se determinat ad conversionem, et convertitur, et eadem actione determinativa et determinante, quæ a libero arbitrio elicitur cum gratia Dei, Deus determinat idem arbitrium. Et quod mirabilius est, statim subdit: *Neque hæc actio qua voluntas actualiter et formaliter determinatur et se determinat, est respectu ejus voluntatis effectus posterior natura quam sit effectus Dei, sed simul est effectus voluntatis humanæ, et ipsius Dei*. Idem

repetit disput. quinta, dum refert quintam sententiam dicens, *non esse putandum Deum ita se gerere, ut, nobis nihil agentibus, ipse producat suam actionem in nos, qua efficienter nos determinat, et jam priusquam, voluntate determinata, ipsa procedat ad opus, quia hoc manifestam dicit implicationem cum libertate*, et in discursu hujus sectionis, quæ prolixissima est, hoc sæpe inculcat.

3. Quia vero de nobis conqueritur quod ejus sententiam nostro modo, et non sicut ab eo traditur et explicatur, referimus (quod sane a nostra saltem intentione alienum est), non audemus hanc sententiam illi tribuere. Nam profecto eisdem locis multa docet, quæ aperte videntur contraria his quæ mox recitavimus. Dicit enim sæpe auxilium efficax dari voluntati, tanquam principium agendi consensum supernaturalem, et ad constituendum vel complendum illam in actu primo, ut det illi virtutem agendi in illo ordine. Ita habet in disput. 4, sect. 2, concl. 3, et concl. 5, § *Sed pro intelligentia*, et disput. 5, sect. 1, conclus. 3, per totam; maxime vero in repetitione ejusdem tertiæ conclusionis, § *Quo circa*, et § *Quod vero*, ex professo impugnat dicentes hoc auxilium in re non esse nisi ipamet actionem et operationem voluntatis, *quia licet actio voluntatis sit una et indivisibilis a Deo et ab ipsa, dicit tamen habitudinem ad illud auxilium Dei, a quo procedit, tanquam a suo principio*; ergo necesse est ut hic dicat auxilium efficax prius infundi a Deo solo sine concursu activo voluntatis, cujus oppositum dicit in prioribus locis; verum est in illis non loqui sub nomine auxilii efficaci, sed sub nomine determinationis.

4. Unde videtur sentire quod, licet auxilium efficax præinfundatur a solo Deo, illud non est determinatio formalis voluntatis, sed solum motio fortis et suavis, quæ in eodem temporis instanti cum voluntate efficit liberum consensum, quem dicit esse determinationem formalem, et ideo negat in prioribus locis voluntatem determinari a solo Deo, sed simul a seipsa, et ita videtur exponere seipsum infra sub lit. *Aliis argumentis*, § *Et confirmatur*. Sed hoc modo non explicatur punctum difficultatis, sed obvolvitur, non distinguendo determinationem in actu secundo a determinatione in actu primo. Nos enim non tribuimus huic auctori vel aliis omnibus, quod dicant actum ipsum secundum fieri a solo Deo, et quod per illum determinet formaliter voluntatem, sed referimus quod vere asserunt Deum solum in-

fundere voluntati auxilium per modum actus primi, ita efficax ut ex se habeat non posse separari ab actu secundo, et consequenter negare non posse quin istæ actus primus inhærens voluntati formaliter illam afficiat et determinet in actu primo ad talem actum secundum et exercitium ejus. Quod tandem fere eisdem verbis fatetur idem auctor in locis proximè citatis, § *Moveor etiam*, dicens: *Ad hoc quod voluntas exercent opera supernaturalia, necesse est quod prius voluntas realiter determinetur quam operetur*; et iterum: *Ut voluntas operetur, necesse est ut realiter determinetur ad illam operationem per aliquid reale positivum, quidquid illud sit*, quod iterum repetit, soli Deo, ut auctori gratiæ, tribuens determinationem. Nihil ergo mirum est, si huic auctori unam et alteram opinionem tribuamus, cum in eo utramque legamus.

5. Et eodem fere modo tribuo sententiam hanc P. Cabreræ, quamvis tam multipliciter de hac prædeterminatione loquatur, ut vix possim de illius sententia definitum ferre iudicium. Sæpe enim defendit prædeterminationem hanc fieri per aliquid distinctum ab actu secundo, et prius natura illo, unde videtur ponere prædeterminationem in actu primo supra refutatam; et tamen disp. 2, § 11, n. 474, dicit quod determinatio Dei relinquit voluntatem determinatam in actu secundo, et indifferentem in actu primo, et quod voluntas præmota est adhuc indifferens in actu primo, licet sit determinata in actu secundo. Quod videtur repugnantiam involvere, si non intelligat prædeterminationem fieri per ipsum actum secundum, licet sub eo maneat voluntas cum actu primo, quod ad tuendam libertatem actus non sufficit, ut supra ostendi. Deinde, § 10, num. 413, dicit motionem prædeterminantem non distingui ab actione voluntatis, nisi formaliter, nec Deum concurrere immediate ad illam, nisi per præviã motionem. Item videtur hanc sententiam supponere in disputat. 6, dubio 8, quando dicit, num. 50, *quod Deus confert auxilium concomitans, non ut prodeamus in actum, sed ut adjuvet ad eliciendum actum in quem jam prodire cœperamus*. Nam his verbis insinuat prius nos incipere prodire in actum, propter auxilium efficax quod prius natura Deus præbet quam nos actum eliciamus; ergo sentit per illudmet auxilium incipere nos in actum prodire, quod intelligi non potest nisi auxilium sit ipse actus sub aliqua prævia ratione consideratus; unde in eadem disput. 6, num. 4, dicit auxi-